

## + R. P. Amatus L'Hôte

† R. P. Amatus L'Hôte.

(*Prov. Lugdun.*).

*Amate, ama!* «*Hospes es, trasis!*» (S. Aug.). His verbis in imagine quadam inscriptis, quam semper prae oculis habuit, sodalis noster nomen suum et cognomen commentatus est; ad quae sermone patrio addiderat:

*Sur terre, HÔTE d'un jour, Bientôt ses ans seront passés,  
AIMÉ d'un tel amour, Peux tu jamais aimer assez?*

Quae pro tessera totius vitae suae religiosae habuit atque fidelissime exsequi studuit.

Natus est P. L'Hôte die 7 augusti a. 1857 in vico Val d'Ajol in Vogeso monte eumque parentes, agricolae non divites, sed pii, tribus horis post baptizandum curaverunt. Praeter eum, qui natu maximus erat, alter quoque frater Iosephus a Deo ad sacerdotium vocatus est. In parentum domo inter familiares imprimis materterae cuiusdam piissimae cura et exemplis Iosephus mature ad pietatem ductus est.



Puer scholas instructionemque catechismi in virginis oppidulis Val d'Ajol et Plombières adiit, cumque primum ad s. mensam accessurus esset, a sacerdote Lemaire, qui ingenium eius non mediocre ac praesertim Deo placendi desiderium cognoverat, linguae latinae initia doceri coeptus est. D. Lemaire Amatum ad missiones Africanas profecturum et apostolatam Dahomeyensem secuturum esse secreto speravit, Deus autem aliud fieri voluit. Interea bello a. 1870 exorto Amatus non tantum communi patriae calamitate afflictus est, sed feбри, quam typhum vocant, correptum patrem quoque amissum doluit.

Autumno anni 1871 seminarium minus ingressus brevi principem inter sodales locum occupavit, anno vero 1875 in maius seminarium S. Deodati (*St. Dié*) receptus est. Amatus tum toto animi affectu quidem Deo serviendi desiderio ducebatur, sed neque ad ministerium parochiale neque ad missiones exteras se natum esse sensit. Patres nostri tum saepe in seminario exercitiorum spiritualium causa morati sunt, quo factum est, ut post multas deliberationes orationesque iuvenis noster Congregationem ceteris institutis praeferret, atque tum familiaribus suis tum episcopo consentientibus iam subdiaconus autumnus a. 1878 Congregationis nostrae noviciatum in domo S. Nicolai a Portu ingrederetur. Quem quo fervore peregerit, illud prodit, quod die s. professionis suae, 13 novembris a. 1879 scripsit: « Mi Deus, ob amorem tui gratiaque tua iuvante promptissimus me semper praestabo ad exsequendum cum alacri gaudio ac nulla interposita retractione vel condicione, quidquid superiores mihi iniunxerint ». His verbis autem totam suam vitam religiosam vere praefatus est.

P. L'Hôte ultimis annis saepe repetere solitus est se toto vitae tempore hominem vicarium fuisse (*bouche-trou*) ad maiora munia inutilem. Quod sane nimiae eius modestiae tribuendum est. Magnis splendidibusque officiis functus quidem non est, sed ad quodcumque munus a superioribus vocatus est, omnia optime obivit.

Professione facta in theologiae moralis studium primum incubuit et mense decembri a. 1879 diaconus, die 29 iunii 1880 presbyter creatus est. Deinde ab anno 1880, si paucos menses excipias, in iuvenatu Operariensi (*Uvrier*) rhetoricam litterasque docuit, qua opportunitate sibi oblata ani-

num suum magna litterarum latinorum et gallicorum cognitione excoluit. Anno 1890 ad missiones habendas destinatus toto animi fervore ad munus apostolicum transiit. Ab a. 1893 ad 1902 Superiori provinciae simul a secretis fuit, sed ne tum quidem in missionibus aliisque ministerii apostolici muneribus laborare destitit. Et cum eum socii loco P. Provincialem ad s. visitationes comitari oporteret, hoc otio usus ac veteri animi cupiditati indulgens bibliothecas domorum scrutatus, quos novos invenit libros, avide legendo devorabat. Homo plus quadraginta annorum socium deinde in noviciatu egit et legibus Combesianis interea patria pulsus in Belgium profectus est. Per annos plus viginti exsul in patriam Galliam iam numquam reverti potuit.

Anno 1907 collegio Gerimontano in Belgio et a. 1909 novae domui Varallensi in montibus Italiae superioris praefectus est, sed triennio post Operarios rediit, ut post duodecim annos iterum pueros erudiendos susciperet. Ibidem praeterea belli magni tempore parvo quoque clericorum studentium numero congregato Scripturam S. docere coepit. Anno denique 1919 Varallum reversus domui illi quinque annos sapienter praefuit.

Cordis malo ingravescente vires interea eum deficere coeperant, ita ut paulatim a laboribus externis abstinendum esse videret. Nulla vero re adduci potuit, ut levamentum aliquod regulae observantiaeque regularis sibi concederet, donec P. Provinciali iubenti acquiescere debuit. Sed ad finem usque vitae omnibus communitatis conventibus exercitiisque piis adesse, studentes aegrotos, qui in domo Varallensi degebant, philosophiam theologiamque docere, Patres iuniores consiliis suis in componendis contionibus adjuvare, sacerdotum sodaliumque confessiones excipere non destitit. Ultimam confessionem ipso mortis suae die excepit.

Anno 1924 superioris munere liberatus est. Paulo post languore ingravescente etiam coactus omisit, quae semper in deliciis habuerat, lectionem ad mensam et cantum in ecclesia. Hebdomadem Sanctam cum Iesu in cruce morienti patiens transegit. Parasceves die s. sacramentis munitus est et Sabbato Sancto circa horam tertiam pomeridianam animam Deo reddidit, die 11 aprilis a. 1925.

Non magnis igitur P. L'Hôte functus est honoribus. Communitatibus quoque parvis tantummodo praefuit. Sed ubicumque apparuit, virtutum exempla reliquit. Et si vitam eius consideraveris, primum omnium obsequiosissimum eum invenies. «Nulla interposita retractatione vel condicione», ut ipse scripserat, superiorum iussa semper executus est. Sive subditus, sive superior fuit, ea, quae difficiliora erant, suam partem esse existimavit. Nemini molestiam parare, omnibus prodesse annisus est. Sibi non parcens aliis, praesertim aegrotis, levamina afferre non destitit et illos, quos sibi adversarios noverat, maiore urbanitate excipere visus est.

Talem vitam continentiae et abnegationis plenam fuisse, quis est, quin intellegat? Ut de oboedientia regularumque observantia taceamus, quod tam saepe e domo una in alteram migrare, quod patria exsulem vivere oportuit, quod in omnibus muneribus obeundis ipsisque in missionibus non principem locum, sed humiliorem obtinuit, ita ut domos quoque tantum parvas regendas acciperet, quodque ea omnia alacri semper ac promptissimo animo fecit, id sane continentiae ac sui abnegationis maximae est.

Radices vero vitae eius ac virtutum in orationis spiritu et amore positae erant. De illis precibus, quae sive sacerdoti sive filio S. Alphonsi praescribuntur, hic dicere inutile est. At etiam, quidquid apud nos a maioribus traditum est, P. L'Hôte diligentissime conservavit. Praeterea inde a noviciatu preces quasdam, quas iaculatorias dicimus, actusque mentis internos per diem distributos sibi imposuerat. Haec et rosaria, meditationes, visitationes SS. Sacramenti cum lectione librorum spiritualium, quidquid temporis ei liberum erat, occupabant. Ab ephemeridibus legendis diu omnino abstinuit; post, cum ea perlustranda esse crederet, carptim rem absolvebat. In itineribus tempus orationi tribuere solitus est et insomnias ultimorum vitae annorum longas orationibus recitandis fefellit.

Maxima erga SS. Sacramentum devotione ardebat, coram quo multas horas transigere visus est. In parochia quadam, quo saepe parochi adiuvandi causa venit, homines eum Patrem illum dicebant, qui tam bene s. sacrificium offerret. Ibidem tempore paschali a. 1921, cum ad confessiones audiendas venisset, puella quaedam gravi morbo laborans enixe rogavit, ut sibi benediceret. Quod Pater obsequens benigne fecit. Altero autem mane puella cum magna medici admiratione sana erat.

At pietas eius non obscura et caeca, sed clara fuit. Quidquid sacerdoti scitu utile est, sive sacrum sive profanum, P. L'Hôte pernoscere studuit. A doctrinis falsis periculosisque non minus quam a commentis quibusdam mysticis semper abhorruit. S. Alphonsi doctrinas autem prae ceteris maximi habuit. In conventibus domesticis casibusque moralibus tractandis eius solutiones mira quadam iudicii cautione et dicendi claritate insignes erant.

In lapide ad sepulcrum eius posito recte illud S. Pauli incisum legitur: *Homo Dei ad omne opus bonum instructus* (II. Tim. 3, 17). R. i. p.!

*Qui ad infideles proficiscitur (in missiones) non praeditus amore Iesu Christi ac patiendi desiderio, in periculo versatur et animae suae et fidei perdendae.*

(S. Alph. ad P. Blasucci, d. 27 iul. 1758).